



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis  
Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmestadii, 1674**

Svpplementvm L. Ad pag. XCIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

Ad pag. xcii.

**Q**uoniam verba Rigordi omnia digna sunt quæ h̄ic com-  
memorentur, adscribam comma istud integrum. In die-  
bus illis (Philippo nimirum Augusto Rege) studium literarum  
florebant Parisiis: nec legimus tantam aliquando fuisse scholarium  
frequentiam Athenis vel Ægypti, vel in qualibet parte mundi, quanta  
locum prædictum studendi gratiâ incolebat. Quod non solum siebat  
propter loci illius admirabilem amænitatem & bonorum omnium  
superabundantem affluentiam, sed etiam propter libertatem, & spe-  
cialem prærogativam defensionis, quam Philippus Rex & Pater ejus  
ante ipsis Scholaribus impendebant. Cum itaque in eadem nobis-  
sima civitate non modò de Trivio & Quadrivio, verum & de  
quaestionebus Juris Canonici & Civilis, & de eâ Facultate quæ de sa-  
nandis corporibus & sanitatibus conservandis scripta est, plena &  
perfecta inveniretur doctrina; ferventiori tamen desiderio sacram  
paginam & quaestiones Theologicas docebantur. Subjungam non-  
nihil eorum quæ addit Rigordus de Almarico. Fuit igitur in  
eadem sacra facultate studens quidam clericus Almaricus nomine, de  
territorio Carnotensi villâ que Bæna dicitur oriundus: qui cum in  
arte Logica peritus esset, scholasq; de Arte illa & de aliis artibus libe-  
ralibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam:  
semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opi-  
nionem privatam, & judicium quasi secundum & ab aliis separatum.  
Hæc omnia Rigordus, testis ejus temporis rerum locuples.

SUPPLEMENTVM L.

Ad pag. xciii.

**A**nte Honorii Papæ edictum, cuius meminit Dissertatio,  
jam seculo duodecimo Juris Civilis Romani studium  
Parisiis quoque fuisse cultum, vel illa doceant quæ modò  
ex Rigordo attulimus. Confirmatur idem eo, quod de Udal-  
rico

rico Abbatे monasterii S. Galli refert *l. de Casibus* illius monasterii Conradus de Fabaria cap. 5 scribens: *dulciloquis Grammaticæ & Dialecticæ floribus informatum Parisios & Bononiā transmisit*; *jurisque peritia cum summa diligentia reparatum, omnibusque bonis confirmatum, ad summa provexit.* Et paulò post: *in Iure forensi & Ecclesiastico, quicquid excogitare poterat, faceto Minervæ poculo cunctis audientibus propinavit.* Quid? quod si Petrus Bælardus idem est cum Petro Abælar-do, is quoque Parisiis ut Philosophiam ac Theologiam ita & Jurisprudentiam docuit. Accursius enim ad *l. Quinque pendum c. fin. regund.* hæc verba reliquit. *Quænam esset ea præscriptio, Petrus Bælardus, qui sanum cuiusque legis intellectum pollicebatur, hic dixit nescio.*

## SUPPLEMENTVM LI.

Ad pag. xciv.

**N**isi valde fallimur, fecimus Libri de Origine Juris Germanici capite vicesimo primo clarissimum, Jus Romanum Justinianeum Bononiæ cœpisse doceri, Imperatore quidem Lothario Saxone, non tamen illo jubente, vcelexijs auctoritate. Hic adducemus duntaxat verba Abbatis Urspergensis, qui vixit tamen Friderico II Cæsare. Eisdem quoque temporibus Wernerius libros Legum, qui dudum neglegēti fuerant, nec quisquam in iis studuerat, ad petitionem Mathilda Comitissæ renovavit, & secundum quod olim à divæ recordationis Imperatore Iustiniano compilati fuerant, paucis forte verbis alicubi interpositis, eos distinxit. In quibus continentur Instituta præfati Imperatoris, quasi principium & introductio juris civilis: Edicta quoque Prætorum & Ædilium curulum, quærationem & firmitatem præstant Iuri civili, hæc in libro Pandectarum, videlicet in Digestis, continentur: additur quoque his liber Codicis, in quo Imperatorum statuta describuntur. Quartus quoque liber est Authenticorum, quem præfatus